

05

A

256





Gubernante Liberatoris Potentissimâ Veritate!

De

APOPLEXIA

DISSERTATIONEM MEDICAM

In

Celeberrimâ Leucoreâ

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

VIRO

*NOBILI, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO*

DN. CONRADO VICTORE

**SCHNEIDERO, Phil. & Medic. D. ejusdemq; Facult.
Prof. Publ. celeberrimo: Seren. Princip. Anhaltin. Archia-
tro laudatissimo.**

*DN. Patrono, ac Præceptore suo filialiter devene-
rando, suspiciendo*

*Placidæ Φιλιάτρων discussioni
exponit*


GOTHOFREDUS LEZENEX

Plaviâ - Variscus.

A. & R.

In Auditorio Medicorum ad diem 29. April.

ANNO M. DC. LXII.



LITERIS HENCKELIANIS.

[Wittemburgae]





05 A 256



Προούλιον

Disputatum hæctenus fuit à Galenicis ac Peripateticis in utramq; partem, quodnam inter hæc duo membrum alteri sit præferendum, an cor cerebro, an cerebrum cordi. Idq; tam acriter, ut pro aris quasi & focus certamina instituta putasses. Verum enimverò, ut eam, quæ animo sedet, opinionem brevibus exprimamus, eandem utriusque dignitatem, eandem ad vitam ducendam necessitudinem arbitramur. Sive enim actiones utriusque perpendamus, sive morbos vehementiores, quibus utrumque conflictatur, & exinde pullulantes vitæ insidias intueamur, facile honoris æqualitas exinde concludi poterit. Nonne enim cor sanguinem, caloris vivifici in hominis corpore *πρῶτον δεκτικόν* motu suo trudit, & ita gubernat, ut ad singulas partes æqualiter affluat, quo affluxu denegato partes intermoriuntur? Nonne è contrario cor synopæ, lipothymia, palpitationi & similibus morbis obnoxium est, qui in præsentissimum vitæ discrimen conjiciunt? Si jam perlustrato corde ad cerebrum abeamus, deprehendimus ibi quoque parilem ad vitam continuandam necessitatem. Est enim hæc pars sedes facultatis animalis, quâ à plantis animal distinguitur, quâque gravius læsa vitæ malum non minus quam læso corde imminet. Videre hoc manifestè licet vel ex so-

lâ apoplexiâ, cui hanc dare tractationem lubet, ceu symptomati & gravi & vulgato satis, cujus adeò necessaria est accuratior cognitio & inquisitio, ut non possit ea non requiri in Medico dogmatico jungente rationi experientiam. Quod si verò quis eâdem destituitur, neque officio suo satisfacere, neque auxiliatrices miseris manus adferre poterit unquam. Miseris dico. Horrenda enim & deplorata est eorum conditio, qui hoc affectu corripuntur. Nam nullis sæpe prodromis moniti ex insperato ceu tacti fulminis ictu corruunt, stipitum instar immobiles jacent, motu, voce, sensibus ex æquo privantur, & nonnunquam solâ respiratione, eaque satis afflictâ ad tempus fruuntur. Hinc nisi idoneo præsidiorum genere ipsis morbi principiis maturè succurratur, confestim jugulantur, & ad plures abeunt. Atque ita non immeritò numeratur hic morbus inter *κατόξεις ἀκριβῶς ἢ ἐξάτως*, seu exquisitissimè peracutos, qui quartum diem non excedunt. Cum itaque de perquam gravi corporis humani affectu difficilis quoque sit tractatio, Te Medicinæ autorem DEUM Opt. Max. quæsumus, ut cœpto labori Dux sis ac comes. Age, quæso, *inexhausta sapientia, æterna Veritas*, fac sapiamus, fac vera loquamur!

CAPUT I.

De Apoplexiæ Quidditate, & differentiis.

§. I. Quoniam igitur inchoanda jam Apoplexiæ tractatio est, ne in ignotâ versemur humo, initium à definitione faciendum, quam talem damus: *APOPLEXIA est Symptoma facultatis animalis, quo subito omnes actiones animales*
abo

abolentur, ortum à nullo spirituum animalium in nervos influxu.

§. 2. Ut autem à nominis explicatione ordiamur, dicitur ἀποπληξία ἀπο τῆς ἀποπλήξειν fortiter & graviter percutere. Inditumque huic affectui nomen est, ut percussio seu percussio vocaretur, à more quodam antiquo. Cum enim veteres Diis superis sacrificaturi, eosque seu placaturi, seu in consilium tracturi, victimas ad altaria adduxissent, peractis quibusdam precationibus aliisque ritibus, eas securi percutiebant, ut attonitæ prosternerentur, teste Homero Odyss. γ. v. 894. 895. Natal. Comit. Mythol. lib. 1. cap. 10 p. 33. Et talia animalia percussa vocabant, ex iisque lati ominis indicia sumebant, si collapsa placidè sine deformi strepitu pedumve complosione animam exhalarent notante Peucero de divinat. gener. p. 360.

§. 3. Quoad varia hujus affectus nomina, notanda cum primis hæc sunt: Nam (α) appellatur κατάπωμα & κατάπωσις h. e. lapsus & attonita concidentia, vel quod repenti homines sensu motuque privatos prosternat; vel quod tono h. e. harmoniâ suâ, in quâ tota salutis ratio ponitur, corpus humanum privet, quæ opinio Mercati est, Tom. 3. lib. 1. cap. 13. Ubi tamen observandum, per attonitam concidentiam non intelligi h. l. stuporem propriè dictum: talem enim apoplectici in membris non habent, quippe quorum partes omnes resolutæ sunt, motuque carent ac sensu. Hinc & (β) à quibusdam vocatur ἀδύλασις καὶ θολικὴ ὄλγῃ τῷ σώματι. (γ) Dicitur quoque sideratio seu morbus sideratus, vel ob convenientiam apoplecticorum cum icæis fulmine, quod veteres sidus esse putabant; vel quod nonnulli statuunt, symptoma hoc ab irato DEO proficisci, & per peculiare sidus astrale seu fulmen à sideribus ortum hominibus ob insignia peccata commissa immitti. Et huc spectat quoque Paracelsi opinio, qui à stellis hoc morbi genus deducit. (δ) nuncupatur ἀφωνία. Licet enim hæc vox notet potissimum vocis ac loquelæ abolitionem; tribuitur tamen ab Hipp. quibusdam in locis etiam apoplexiæ, ideò quod hujus fulmine perciti repenti obmutescant. Rarum enim est,

A 3

quod

quod nonnulli quasi auxilium petitori in morbi insultu cla-
 morem edant. Adeoq; ἀφών (G) apud Hipp. non est is, qui non lo-
 quitur, sed qui sine sensu, motu, & voce est, quod contingit Apoplecti-
 cis, inquit Hollerius comm. in 5. aph. 5. p. 467. Dicit enim ibi Hippo-
 crates: Ἦν μεθύων ἐξ αἰφνης ἀφώνος τις γένηται, ἀσπασθεὶς δὲ πο-
 θνήσκει, ἢν μὴ πρὸς ὀπιλάβη, ἢ ἐς τὴν ὤρην ἐλθῶν, καὶ ἢν αἰ-
 κραιπάλαι λύονται, γθ' ἐγξήται. Eandem acceptionem habet
 7. aph. 8. itemq; 6. aph. 51. Et licet Job. Liebauus Hollerii Scholia-
 stes hanc in parte dissentiat, & per ἀφώνιον potius intelligi af-
 fectum soporosum statuatur, nititur tamen ejus sententia falsis
 hypothefibus 1. apoplexiam tantum oriri à crassis humori-
 bus, de quibus infra. 2. apoplexiam desinere non posse in con-
 vulsionem, sed tantum in paralyfin. Cum enim in levioze apo-
 plexiâ humor eandem generans facilè vi naturæ ingrediatur
 orificia venarum, iisque mediantibus cum sanguine refluat
 ad cor, indeque à facultate animæ vitali in sanguine hospitan-
 te protrudatur per arterias in fibrosas musculorum partes,
 facilè produci poterit convulsio, quippe quæ oritur ob irrita-
 tionem dictarum partium à re molestâ, incitatâq; ad motum
 facultate animali, docente B. Sennerto Instit. lib. 2. part. 3. sect. 2.
 cap. 4. p. 417. Consentit cum hoc auctore quoque Fernelius Pa-
 thol. lib. 5. cap. 2. p. 520. & locum 7. aph. 58. de affectu soporoso ex-
 plicat. Sed quicumque æger sensus & sermonis expers obstu-
 pescit, ille est verè apoplecticus. Atqui capite concussus. E.
 Major patet ex formali ratione apoplexiæ. Minor constat ex
 ipsissimis verbis Fernelii l. c. (ε) vocatur *obstupescencia seu stu-
 por corporis universalis cum resolutione.* (ζ) *eclipxis, epiplexia.* (η) *a-
 strobolia.* (θ) *catarrhus suffocativus.* Sed cum Catarrhus suffo-
 cativus tantum afficiat pulmonem illæso capite, nec caput
 etiam humorem aquosum in guttur & pulmones mittat, quod
 probat Magnif. Dn. Praeses lib. 3. de catarrh. sect. 2. cap. 5. p. 545.
 quilibet facilè videt, nomen hoc malè imponi apoplexiæ.
 (ι) Theophr. Paracels. lib. 7. paragr. cap. 1. appellat hunc morbum
Guttam, de cujus appellationis fundamento infra erit agen-
 dum. (κ) Nonnullis audit *Ecclipsis Lunaris Microcosmica*, quod
 tamen non omni apoplexiæ videtur convenire. Nota enim
 est

est analogia Solis & Lunæ cum corde & cerebro hominis. Quemadmodum igitur in Macrocosmo Lunæ ecclipsis fit, intercepto à terræ opacitate lumine solari, necessariò ad corporis Lunaris illustrationem; ita quoque in Apoplexiâ, intercepto sanguinis ad cerebrum affluxu summè necessariò cadit animalium spirituum generatio, atque ita totales tenebræ corpori suffunduntur. Hoc tamen notandum, in macrocosmicâ ecclipsi luminis tantum adesse defectum, ceu Entis spiritualis; in microcosmicâ autem dari defectum sanguinis & spirituum, quæ reverà corpora & entia materialia sunt. (λ) Germani vocitant den Schlag / habito respectu ad originem græcam: den Tropffen / ex mente Paracelsi: die Hand Gottes / sequuti eos, de quibus supra in enucleatione vocabuli *Sideratio* dictum.

§. 4. *ὀμωυμία* seu æquivocationem hujus termini quod concernit, usurpatur ille *I. ut synonymon* ὀμωυμίας *particularis*, apud Hipp. 2. prorrh. 2. 7. aph. 40. & alibi. Alias notum est, quod *paralysis* & *Apoplexia* differant ut termini magis & minus communes. Omnes enim apoplectici sunt paralytici, sed non vice versâ, paralytici statim sunt apoplectici. *II. Ut notet præordia seu symptomata, apoplexiam strictè dictam præeuntia.* quorum ratione apoplexia morbus diuturnus à Galeno vocatur, explicante Bened. Victor. Faventin. de cur. morb. tr. 1. cap. 27. Quemadmodum enim in aliis morbis, ita & hîc consideranda tota periodus est, quatuor constans temporibus, i. principio 2. augmento: quæ duo in apoplexiâ symptomatibus quibusdam describuntur, vigorem antecedentibus, qualia sunt: capitis dolor 6. aph. 51. & alia plura de quibus infra. Et hisce prodromis nonnunquam nomen apoplexiæ tribuitur v. g. apud Al. Massar. præct. med. lib. 1. cap. 13. 3. vigore seu cumulo omnium symptomatum, & abolitione actionum animalium, cujus ratione morbo acutissimus est. 4. declinatione, quando nimirum vel definit in paralytin, vel perfectè solvitur. *III. Ut notet tale symptoma*, quod uno velut oculi icu actiones animales prosternit. Et hæc acceptio stricta est ac maximè propria, de quâ etiam h. l. agimus.

§. 5. Ha-

§. 5. Haecenus de definito. Quod attinet ipsam definitionem, *generis loco stat symptoma*. Nam cum in quolibet ferè affectu tria sint, idem & in hoc affectu manifestè conspicitur. Adest enim *I. symptoma* seu accidens præter naturam, insequens aliud quid præternaturale, in iis, quæ sunt extra constitutionem partium ad actionem necessariam, quemadmodum definit *Celeberr. Sennert. Instit. lib. 2. part. 3. sect. 1. cap. 1. pag. 267.* Et tale in hoc affectu est ipsa actio animalis læsa. *II. Adest morbus conformationis*, vel spiritibus vitalibus influxum, vel animalibus effluxum denegans, & h. m. ansam sympomati præbens, ut illud eum sequatur velut umbra corpus. *III. Causa morbifica quoq; locum habet*, quæ suo ambitu complectitur omne id, quod morbum conformationis ullâ ratione inducere potest. De quibus infra. *Definimus* autem nos apoplexiam in respectu ad symptoma, partim quia h. m. convenientius exprimitur ipsius affectus natura ac essentia; partim, quia consentientes habemus Viros Clarissimos, & de re Medicâ meritisimos, *B. Sennert. Med. pract. lib. 1. part. 2. cap. 33. & Instit. lib. 2. part. 3. sect. 1. cap. 9. pag. 306. Fernel. Pathol. lib. 5. cap. 3. pag. 523. Horstium disp. Med. 9. th. 26. Clarissimum Nymmann. lib. de apoplex. cap. 2. pag. 9. & alios plures.*

§. 6. *Differentia* in definitione reliquis verbis exponitur, & desumitur *I. à lesâ facultate* operationibusque animalibus, non tam principalibus, putâ sensu communi, memoriâ, phantasiâ, & consequenter ipso intellectu; quàm minus principalibus, quales sunt motus ac sensus. *II. à modo lesionis*; abolentur enim istæ functiones totaliter, & repente quidem ac uno quasi momento. *III. à causâ lesionis proximâ*, quæ non est nisi una, nempe negatio influxus spirituum animalium. Cum contrâ remotarum plures sint, quod ex inferius dicendis ulterius patebit.

§. 7. Explicatâ quidditate ad differentias recto ordine progredimur. Et quidem *I. ratione magnitudinis alia est debilis*, in quâ respiratio ordinem quendam servat, & hæc vel terminatur in paralyfin alterius lateris, vel perfectè ægrotum liberat. *Alia fortis est*, quæ respirationem facit violentam,

ram, inæqualem, inordinatam & intermittentem. *Alia fortior*, in qua æger difficulter & cum magna violentiâ respirat, stertorque auditur & spuma circa os apparet. *Alia fortissima*, in qua protinus cum sensu & motu in toto corpore cessat quoque respiratio, unde nec stertor nec spuma. Et tales ante triduum seu horas 72. non sepeliendi i. quia dubium est an apoplexiâ extincti sint, an ecstasi melancholica vel suffocatione uteri laborent. 2. quia in his affectibus calor sanguinis tam insigni ventilatione per pulmones non eget, sed sufficienter διαπνοή per orificiola venarum temperatur. *Sennert. Med. pract. lib. 1. part. 2. cap. 33.* 3. quia dantur exempla apoplecticorum, præfocatarum, aliorumque ex acutis morbis subito mortuorum, qui triduo elapso ad se rediere, quorum cumulum ponit *Nymm. de apop. cap. 31. pag. 176.* 4. quia hâc temporis mensurâ Luna unicum Zodiaci signum peragrat, sicque omnia in corpore commovet. *Petrus Pictor. Sermon. Convival. lib. 1.* 5. quia intra hoc spatium humores in corpore suas periodos & motus absolvunt, & tum in verè mortuis color perfectè cadaverosus, corpusque ob humorum putredinem foetidum redditur. *Conciliator diff. 182. apud Nymm. l. c. Æstimamus autem cum Galen. 3. de loc. aff. c. 7. & 10. magnitudinem apoplexiæ ex respirationis noxâ majore vel minore, secus ac Helmontius de jure duum vir: n. 53. pag. 248. cujus sententia stare vix potest, nisi rectè explicetur. Dicit enim is: apoplexia minor spiritum influum, major insitum obsidet. Ubi per spiritum influum intelligendus spiritus animalis, per insitum verò sanguis. Illa enim apoplexia omnino minor est, quæ tantum spiritus animalis influxum impedit; quæ verò eò procedit, ut præter læsionem functionum animalium sistat quoque respirationem & sanguinis motum circularem, adeoque actiones vitales quoque debilitet, illa sine dubio major est. II. Ratione defectus spirituum alia fit ab intercepto sanguine ac spiritu vitali, & tunc animali materia præripitur: alia fit à negato influxu Spiritus animalis sufficienter generati: III. Ratione cause continentis alia fit ab obstructione carotidum, alia ob apertionem vasis, alia ob obstructionem principii*

B

cipii

cippi nervorum. IV. *ratione cause antecedentis alia est à sanguine, alia à sero, alia à corporibus fibrosis.* V. *Ratione cause procat arctica alia est à radiis Lunaribus, alia ab affectibus animi vini crapula &c. de quibus infra.* VI. *Nymm. l. c. cap. 21. pag. 133. differentiam facit inter apoplexiam veram & spuriam. Vera ipsi est, in quâ prius obstruuntur sinus & meatus cerebri, spiritusque vitales intercipiuntur, quo facto cerebrum à spiritibus non illuminatum in se subsidet, omnesque actiones subito abolentur. Notha autem est, in qua cerebrum primò collabitur & sæpe diffluit, vasa autem postea occluduntur, ut nihil spirituum vitalium affluere amplius possit. Et huic graviora quàm veræ symptomata adscribit. Sed cum hæc differentia pro fundamento habeat torcularis obstructionem, de quâ infra in cap. de causis erit dicendum, ideoque eam assumere hæc vice nondum possumus. Alii aliter hanc differentiam explanant. Sic enim (L. Jonston. Id. medic. pract. lib. 8. tit. 2. cap. 7. art. 4. pag. 422. apopl. legitima est, quæ oritur vel ab obstructione vel compressione baseos cerebri. Notha, quæ vel ab obstructione arteriarum carotidum, & venarum jugularium oritur, vel à vaporibus narcoticis Spiritus sopientibus. Sed quid de hæc explicatione statuendum sit inferius dicetur.* VII. Denique distinguit *Gremsius in arb. integra & rumos. hominis lib. 2. cap. 1. §. 10. n. 51. pag. 169. inter apoplexiam positivam & privativam. Positiva est, quando venenum hæret in præcordiis, cerebrum vero per devteropathiam afficitur, quatenus nempe auscultat inferiorum regimini. Privativa verò est, quando intercipitur cerebri lumen; & hoc apoplexiæ genere dicit mori suspensos. Verùm nititur hæc sententia falsissimâ illâ opinione Helmontiana, sedem appoplexiæ esse in ventriculo, de qua itidem Bono cum Deo infra.*

Cap. II.

De loco affecto in apoplexiâ.

§. I. Adum est hæctenus de apoplexiæ quidditate & differentiis; sequitur jam ordine recto ipse locus affectus. Nisi enim

enim

enim de eo primum sumus solliciti, nihil certum de causis, tum de ipsâ curatione statuere poterimus.

§. 2. Offerunt autem sese hæc indagaturo non pauca opinionum ambages, quæ prius relinquendæ, quam veram ingrediamur semitam. Ubi initio occurrunt ii, qui relictis membris animalibus vitalia accusant. Et quidem eorum *aliqui cor, affici putant, itemq; pulmones & jecur.* Verum 1. confundunt illi malè apoplexiam cum syncope cardiacâ. 2. in apoplecticis color corporis vividus, & 3. pulsus sat validus aliquandiu perstat, quæ omnia ipsum cor spiritumque vitalem seu sanguinem illæsum portendunt. Et hæc opinionum monstra proferre non erubuit *Theoph. Parac. lib. 2. paragr. c. de gutta §. 4. itemque Scheunemannus in Med. ref. id quod provenit ex solâ anatomix localis, ut appellant, ignoratione & neglectu.* Alii contra sedem *in ventriculo & utero* quærunt, quæ sententia admodum arridet *Helmontio* tum variis in locis tum potissimum *lib. de sed. anim. ad morbos. n. 12. p. 236.* ubi dicit; *apoplexiam sedere proximè intra ipsum vitæ nidum in archeo, qui insitus est ventriculi orificio.* Conferri potest *lib. de morb. sed in anima sens. n. 13. pag. 451. (& de ignot. action. regim. n. 40. pag. 270.)* ubi dicit: *apoplexiam semper è stomacho surgere sagittariq; in caput. ab utero autem eandem derivat lib. de ignot. action. regim. n. 43. & 46. pag. 271.* Hunc sequitur fidissimus ejus affecla *Fr. Osw. Gremisus in arb. lib. 2. cap. 1. §. 10. pag. 169. ex Helmont. tr. de morb. introd. diagnost. n. 9. pag. 474.* dicit: *animam vel in stomacho vel in utero quati.* Hactenus illi. Nos, si rem exactius perpendamus, deprehendemus *ὁ ΦαλμοΦανεγῶς*, bina hujus dogmatis fundamenta non firma satis esse, sed minitari ruinam. *Primò enim statuunt hi autores, animæ sedem esse in ventriculo, quod tamen apertè falsum.* Cum enim anima immediatè consistat in sanguine (teste tum *Scripturâ*, tum *rationibus*, quas prolixè adducit *Magnif. Dn. Præses, Præceptor ac Patronus nunquam satis honorandus lib. 3. de cat. s. 1. c. 1.*) eoq; , ceu vero hominis calore vitali, mediante influat in reliquas corporis partes (quod vel ex abolitione actionum ob negatû sanguinis affluxû abunde patet,) & hinc propter spiritualitatem suam ro-

ta sit in toto, & tota in quâlibet totius parte; idcirco concluditur exinde, eam certæ cuidam parti alligari non posse. *Secundo* credunt hi autores, vivere uterum post mortem quoque, & brutali quodam intellectu gaudere, quo furibundus syncopas, apoplexias & similia generet. Sed concedimus nos utero cognitionem & prudentiam quandam naturalem, quâ fertur in actiones sibi obeundas. Quoniam vero hæc prudentia fluit ac dirigitur ab animâ humanâ, & uterus est pars organica, sponte sequitur, discedente animâ ipsum æquivocè uterum vocari, omniq̄ue vitâ carere, ad instar ferræ, quæ tanquam instrumentum, si destituatur manu dirigentis adeoque extrâ usum ponatur, non est serra. *Conf. B. Sperling. medit. in Scallig. 17. effat. 1. pag. 463.* Quod vero affecto utero syncope & similes affectus generentur, fit non tam ob furorem ipsius uteri, quam ob impeditum à causâ morbifica in utero latitante sanguinis motum. Quo impedito statim suboritur syncope, teste *Celeberr. Dn. Pras. lib. 3. de catarrh. sect. 1. cap. 1. pag. 24.* Ubi inquit: si incisâ arteriâ, magna vis sanguinis profunditur, homo animo linquitur, quia non sat sanguinis ad dextrum cordis ventriculum fertur.

§. 3. Et huc usq̄ue quidem de iis, qui in partibus vitalibus sedem mali quærunt. Jam ad eos, qui veritati propiores ad partes animales abeunt, ibiq̄ue de membro principaliter affecto disquirunt. Et hi rursus sunt in triplici differentiâ. *Alii* enim in nervos & tendines invehuntur, quam sententiam *Paracelso* tribuit *Gremsius l. c. pag. 168.* *Alii* ventriculos cerebri anteriores affici putant, quæ opinio originem suam debet *Galeo*, astruente eam diversis in locis, potissimum *v. 3. de loc. affect. cap. 7. & comm. in 2. aph. 42.* Sequuntur hunc ex Græcis, Arabibus & recentioribus innumeri, *Æginetta de re med. lib. 3. c. 18.* *Ætius tetrabibl. lib. 2. serm. 2. cap. 27.* *Fernel. Pathol. lib. 5. cap. 3. p. 524.* qui tamen in *lib. de abdit. rer. caus.* contrarium assumit. *Holler. comm. in 2. aph. 42. p. 187.* & passim, imò alii plures, quorum catalogum citat *Excell. Wepfer. de apopl. p. 22.* Sed horum autorum opinio toleranda nullo modo videtur. Nam i. jacta nondum basis est, cui superstrui aliquid validi possit. Neque

que enim spiritus animales in ventriculis his, sed in substantiâ cerebri generantur, id quod sufficienter probat *DN. D. Wepfer. de apopl. p. 22. seqq. & Experientissimus DN. Pres. lib. 2. de catarrh. sect. 1. cap. 5. p. 60. & cap. 7. p. 81.* 2. Ventriculos hos in apoplexia demortuis vacuos notat *Fernel. 2. de abd. rer. cap. 15. p. 232.* 3. Hydrocephalici deberent esse apoplectici, quia in eorum ventriculis magna aquæ quantitas reperitur, quæ, si non generat obstructionem (quod tamen certum est,) ad minimum spirituum generationem impedit. At *weg'ca'nc* repugnat experientiæ *Vesalii de fabr. Corp. hum. l. 1. c. 5. Tulpii lib. 1. observ. Medic. cap. 24. Guil. Fabric. Hildani cap. 1. obs. 10. Exc. Wepferi l. c. p. 69.* 4. In sanis etiam corporibus ventriculi humorem quendam continent, nunc copiosorem, nunc pauciorum, limpidum tamen, qualis est aqua in pericardio, & nunquam spissum, teste *Magnif. Dn. Præs. lib. 2. de catarrh. s. 1. cap. 9. p. 91. seqq.* Possunt igitur pori eorum (qui nulli sunt: nam cinguntur intus membranâ tenui ac solidâ ortâ à piâ meninge,) per quos influere debet spiritus animalis, facile obturari ab istiusmodi humore, quantumvis tenui: adeoque nulla ætas, nullus sexus nullo tempore vel ab apoplexia, vel ad minimum à sensus & motus læsionibus, nunc in hâc nunc in aliâ parte immunis erit. *Wepf. p. 60.* Alii denique locum affectum ponunt ipsam cerebri substantiam medullosam ac porosam, inter quos est sæpè laudatus *Dn. D. Wepferus*, quæ sententia & vera est, & nostra. Ubicunque enim generatur spiritus & eduntur omnes actiones animales, ille locus procul dubio est sedes apoplexiæ, si à certis ac determinatis causis afficiatur. Jam in tota cerebri substantiâ medullosâ ac porosâ 1. generantur spiritus animales. 2. eduntur actiones animales. E. Minor quoad prius membrum probatur à *CL. Hoffmann. animadvers. in comm. Montan. & Thom. Erast. de morb. cap. 14. §. 68.* Itemque *DN. D. Wepfer. l. c. p. 72.* Quoad posterius membrum verò satis clara est, quia sequeretur, alias facultates sedibus suis esse distinctas, quod tamen explosum vide apud *Celeberrimum vov' cu' a'iois Sennert. Instit. lib. 1. cap. 13. p. 113. Horst. de anim. exercit. 8. quest. 3.* Observandum tamen hîc, nos cerebri vocem

accipere *latè*, prout includit & cerebrum, & cerebellum & omne illud medullæ genus, quod continetur in cranii capacitate. Adeoque positâ hâc acceptione divortium facimus ab iis, qui locum affectum tantum constituunt *medullam oblongatam cerebri*. Vel enim pars ejus afficitur vel tota. Si pars, non omnis sensus & motus peribit, ratio, quia non omnibus nervis præcluditur spiritus animalis. Si tota, manebunt omninò sensus communis, phantasia & memoria, quia illæsum est cerebrum strictè dictum, gaudens quippe & continuò per arterias influxu sanguinis, & spiritibus animalibus satis copiosè generatis.

§. 4. Quoad locum *minus principaliter* affectum iterum diversæ se sistunt opiniones. *Prima* est eorum, quibus suspectum est *rete mirabile*, inter quos est *Fernel. Patbol. lib. 5. cap. 3. p. 524. & de abdit. rer. caus. l. f. c. Excell. Jonston. id. medic. pract. lib. 8. tit. 2. c. 7. art. 4. p. 421. Hollerius comm. in 2. aph. 42. p. 187. & alibi.* Sed non subscribimus huic opinioni 1. quia rete illud mirabile à *Galen. lib. 9. de Us. Part. cap. 4.* descriptum, & sub durâ matre in sellâ ossis sphenoidis situm, in homine planè non datur, teste *αυτοψία* tum *CL. DN. Wepferi p. 30. seqq.* tum *Excell. DN. Præsid. lib. 2. de catarrh. l. 1. cap. 18. p. 194.* 2. posito, dari in homine istiusmodi rete mirabile, tamen affecto eo non statim generabitur apoplexia: potest enim per arterias cervicales affluere spiritus vitalis. *Secunda* est eorum, quibus *torcular seu concursus quatuor sinuum duræ meningis* afficitur. Verùm & ab hac sententia certis nixi rationibus modestè recedimus. Nam 1. statuunt hi sinus duræ meningis distribuere sanguinem advectum per cerebrum, quod tamen non admittimus. Sunt enim hi sinus nihil aliud, nisi venæ, teste ipso *Galeno lib. 9. de administrat. anat. cap. 1.* adeoque nihil aliud præstant, nisi quod per arterias advectum, & à nutritione superfluum stante circulatione revehunt. Quod vel inde patet, quia junguntur rivuli sinus tertii cum carotidum & vertebralium arteriarum ramusculis. *Wepfer. p. 119.* 2. Notat *Dn. D. Wepferus l. c. p. 224.* torcular omnesque sinus totaliter ferè obstructos in juvene quodam, qui nihil apoplectici patiebatur. Ubi tamen notandum,

dum, hanc sententiam stare quoque posse, si rectè de *Ἀφροσίου*
Φλεγμονώδεις explicetur, quod sequenti capite præstabimus.
Tertia nostra est, quæ locum minus principaliter affectum po-
nit *arterias carotides internas ac cervicales seu vertebrales* obstru-
ctas, vel quoad truncum ibi, ubi cranium ingrediuntur; vel
quoad ramos per cerebrum dispersos, de quo fusius cap. seq. 3.
Præclusis enim his, sistitur sanguinis ad cerebrum affluxus, si-
stitur spiritus animalis generatio.

CAP. III.

De Causis Apoplexiæ.

§. 1. Causæ hujus affectus, uti & in aliis multis, sunt
vel *proxima*, vel *remota*. *Proxima* est, inter quam & affectum
nulla alia intercedit. *Remota* sunt, inter quas & effectum a-
lia adhuc causa mediat. Et hæc rursus sunt vel *continentes*, vel
antecedentes vel *procatartica*. *Causa* hujus affectus *continens*
est, quâ positâ is ponitur, sublatâ tollitur. *Causa antecedens*,
est *Ἀφροσίου* quædam in corpore latens, à quâ oriri apople-
xia potest. *Procatartica causa* est, quæ *προνογμύνην* excitat
& movet, ut actu & evidenter corpus afficiat, adeoque acti-
va passivis applicat.

§. 2. Præsuppositis his *causam apoplexiæ immediatam*
ac proximam cum B. Sennert. Med. pract. lib. 1. part. 2. cap. 33. qu. 2.
statuimus defectum seu negationem influxus Spirituum animalium.
Nam I. Quicquid secundum naturam se habens est cau-
sa & organum actionum integrarum proximum, id si præter
naturam se habeat, causa quoque est læsarum. At Spiritus a-
nimalis causa est actionum animalium integrarum. E. 2. Sicut
sensus & motus privatim ab eorum defectu læduntur, con-
sentiente totâ Medicorum Scholâ; ita etiam universalis illius
facultatum animalium læsionis in apoplexiâ causa ibi quæ-
renda est.

§. 3. *Causæ continentis* pro ratione diversitatis apo-
plexiæ variæ quoque sunt. Nam (α) occurrit *sanguinis afflu-*

xus cerebro denegatus, quam causam & antiqui agnovere, & ipse potissimum Hippocrates, teste Prospero Martiano in lib. 2. de morb. §. 64. apud Excellent. Dn. D. Wepfer. p. 163. Confer ejus p. 174. Oriturque hæc affluxus negatio vel ab obstructione carotidum & vertebraliū arteriarum, vel ab apertione vasis cujusdam in cerebro.

§. 4. Possunt autem prædictæ arteriæ & quoad truncos, & quoad ramulos obstrui. Licet enim *obstructio truncorum* incredibilis ferè varias ob causas videatur; vera tamen est & satis probabilis, si ponderetur arteriarum constitutio, humor obstruens, & vis causarum procatarticarum. Est enim utraque harum arteriarum, eò loci, ubi subeunt cranium, cincta ossibus adeò, ut extendi amplius nulla ratione possit, quæcunque etiam vis externa accedat. Sic transeunt vertebrales arteriæ per peculiare ossis occipitis foramen, idque totum occupant. Carotides vero tum per canalem ossis petrosi feruntur, tum per circulum osseum prope duram meningem. Quod si ergò rumpatur corpus quoddam fibrosum arteriis hisce in existens, & incitetur sanguis ad insolitum & vehementiorem motum à causa aliquâ procatartica v. g. vino, animi motu & similibus, haud videtur impossibilis obstructio horum ductuum uno eodemq; momento. Neq; requiritur semper obstructio totalis, sed sufficit quandoque si tam angusti fiant, ut influere nequeat talis copia, quæ satis sit refocillando tum cerebro tum Spiritibus animalibus. *De surculis arteriarum dictarum*, quos cerebri basi & anfractibus communicant, res paulo clarior est. Cum enim hi minutissimi sint, sanguis autem in corporibus nonnullis v. g. Phlegmaticis viscidus ac pituitosus æqualiter per omnes arterias protrudatur, & h. m. sæpius circuletur, fieri facile potest, ut singulis vicibus aliquid adhæreat, sanguisque deinde à causâ procatartica concitatus & ἀσθρῶς influens, obstructionem perficiat Wepf. p. 205.

§. 5. Porrò nulla fit spirituum animalium generatio, quando sanguis l. è profundiori loco circa basin maximè, vel copiosè nimis ex arteriis profluit, adeoque Spiritibus anima-

nima-

nimalibus materia præripitur. Id quod accidit ob apertio-
nem præternaturalem vasis cujusdam in cerebro, seu jam fi-
at per anastomofin, seu per erosionem, seu per rupturam.
Anastomofis frequentissima est, & uti in aliis partibus, ita hîc
loci quoque oritur 1. ob sanguinis copiam. Si enim arteriæ
cerebri jam nimis tumidæ sanguinem emittunt, apoplexia o-
ratur, inquit Laudatissimus DN. Præses lib. 2. l. 1. cap. 7. p. 86.
Testatur hoc apoplecticus ille septuagenarius exactè Pletho-
ricus apud Dn. Wepferum; item alii, quibus suppressâ con-
suetâ hæmorrhagiâ, vel cessantibus menstruis apoplexia su-
pervenit. Exempla vid. apud Guil. Fabrit. Hildan. c. 3. obs.
II. Platerum præct. tr. 1. lib. 1. c. 2. Zachin. in 9. Rhas. cap. 9.
Et talis apoplexia, uti omnis sanguinea, adolescente Lunâ fe-
rè ingruit, quia tunc sanguis magis augetur, ut vasa ejus fa-
cilè rumpi queant. DN. Præf. l. c. cap. 3. p. 36. 2. Ob sangui-
nis tenuitatem. Et talis apoplexia locum habet in corpori-
bus calidioribus, ac frequentius potu quam solido cibo uten-
tibus. 3. ob sanguinis fervorem vasa recludentem. 4. ob
læsam facultatem illam vitalem, quæ sedet in sanguine. Hæc
enim consternata vel commota à causa evidenti orificia va-
forum aperit, & humores nunc sinceros, nunc sanguini co-
piose mistos de iis stillare patitur. *Ruptura* quoad causas
exactè convenit cum ἀναστομώσει, in eo tamen differt, quod
fiat nonnunquam à causa externâ v. g. ictu, casu, vulnere,
quorum exempla vid. apud Excell. Welschium P.P. Lipsiens.
in ration. lethal. vuln. Judic. cap. 3. *Erosio*, licet rara sit, non
tamen est impossibilis, quando vel massa sanguinea integra
abundat humoribus corrosivis, vel quando variola quædam
internum vas obsidet &c. Istiusmodi apoplexiarum exempla
vid. apud DN. Wepfer. hist. anat. 1. 2. 3.

§. 6. (β) Secundo loco sistit se inter causas continen-
tes prohibitus spiritus animalis è cerebro in nervos & spina-
lem medullam effluxus. Quæ prohibitio provenit 1. ab ob-
structione principii omnium nervorum. Cum enim substan-
tia cerebri medullosa poris propter spirituum transitum sca-
teat undique, hi autem pori partim arterioli pateant, par-

C

tim

tim nervis, sequitur omninò eos obstrui posse ab allato per arterias humore inimico. 2. à compressione cerebri totali ob copiam feri, quò nullus humor magis idoneus.

§. 7. (γ) Huc quoque spectat decantata illa *Αίθρσις Φλεγμανώδης* Veterum, quæ refertur jure ad apoplexiam sanguineam, & fit, quando obstructis sinibus duræ meningis sanguis affluens in arteriis stagnat, donec tandem eas ita impleat ac turgidas reddat, ut non possint non præcludere vicinas spirituum vias. Et h. m. si explicetur eorum opinio, qui constituunt torcular locum affectum, tunc verissima est, & tolerabilis quam maximè.

§. 8. Addunt alii (δ) subsidentiam cerebri. Sed spectat hæc potius ad effectus apoplexiæ jam grassantis, quam ad causas. Cerebrum enim tunc demum concidit, quando non amplius à spiritibus illustratur, quod patet ex infantibus haud diu post partum mortuis, quibus fontanella in capite depressa est, ideò, quod cerebrum subsidens locum istum membraneum adhuc & duræ meningi annexum ad se pertrahat. Debet ergò alia quædam causa præcedere, quæ tollat lumen spirituum, quo sublato, immediatè sequitur apoplexia, & cum eâ cerebri subsidentia.

§. 9. (ϵ) *Vulnera cerebri* cum pertineant ad rupturam vasorum, de quâ supra, nihil hîc de iis addimus, excepto eo, quod omnia ob summam sanguinis effusionem sint lethalia, teste *Excell. Welschbio Lips. P. P. celeberrimo, in ration. vuln. lethal. judicio cap. 3.*

§. 10. (ζ) *Depressionem cranii* quod attinet, sunt, qui eam solam sufficere putant ad producendam apoplexiam. Verùm & ab his recedimus, quia depressum cranium partem duntaxat cerebri comprimit, adeoque actiones ejus immittit tantùm, non planè abolet, scilicet si solum sit; alioquin conjunctum cum vulnere vasis cujusdam apoplexiam, ut causa moralis ac remota omninò producere valet. Et tunc videndum, ne id, quod sanguini (extra vasato) ascribendum, soli cranii depressioni attribuamus, monente *Excell. Nymman. c. 23. p. 139.*

§. II. (η) Re-

§. 11. (7) Referunt huc nonnulli *intemperiem cerebri*, ubi initio dist. inter intemperiem cum & sine materia. Si priorem intelligunt, nobiscum quoad rem consentiunt; sin verò de posteriore loquuntur, falsissimi sunt. Nam 1. intemperies talis nuda actiones partium vel auget vel imminuit, vel depravat, rarissimè autem vel nunquam penitus tollit, nisi ad summum quasi gradum pervenerit. 2. Posito, posse intemperiem actiones membrorum abolere, id tamen in momento non faciet, sed paulatim & successivè, quod patet ex omni alteratione. 3. Solvitur apoplexia nonnunquam confestim; at nulla intemperies tam citò corrigitur, sed successivè saltem definit. 4. Nulla intemperies spiritibus per vasa transeuntibus viam præcludit, sive enim canales frigidi sint sive calidi &c. tamen per eos aqua liberè fluit. Nymm. c. 10. p. 45. Nec est quod objiciant, apoplexiam cum semine traduci. Neque enim sequitur exinde eam esse morbum intemperiei, quia propagantur quoque cum semine morbi conformationis. Quando igitur apoplecticus generat, tunc post conceptum anima filii juxta ideam semini impressam cerebrum format, & hoc modo ad apoplexiam disponit, quæ dispositio consistit in conformatione, ut infra dicetur. Et exinde ratio dari potest, cur apoplecticus ante paroxysmum generet filium apoplecticum, habet enim ante paroxysmum etiam dispositionem organicam ad apoplexiam. Contra verò, in quibus morbus hic à causa aliqua externâ provenit, v. g. ictu & sim. illi ante paroxysmum nunquam tales filios generabunt.

§. 12. (8) *Scheunemanno in Med. ref.* placet causæ loco ponere *cerebri, cordis, ac pulmonis cera instar colliquationem, percussione, inflammationem ac ustionem.* Sed 1. an anatomicorū quis talia in apoplecticis observarit, nondum constat, nec constabit etiam unquam. 2. Si colliquarentur hæ partes, caderet statim ab initio, in levi etiam apoplexiâ respiratio, quod tamen falsum.

§. 13. (1) Non minus absurda est & monstrosa opinio agyrtarum, quam & Paracelsus assumit. Putant enim illi *tres dependere in capite guttas sanguineas*, quarum si dextra vel

sinistra decidat, paralyfin fieri hujus vel illius lateris. Quod si verò cadat media, tunc suffocari cor, & inde oriri apoplexiam. Et ne quid desit absurdorum, adstruunt porrò, tinnitum aurium esse signum guttæ delapsuræ. Ne autem hoc accidat, præcipiunt, ut, quamprimum quis unius, utriusve auris tinnitum pensentiscit, attrahit statim aerem, guttamque jam casuram pristino reducat loco. Quam opinionem recitasse est refutasse. Quod si enim fabulari esset Medicum agere, nulla tunc excipienda foret vetula.

§. 14. (κ) De animæ impossibili concussione in stomacho vel utero factâ cum cap. præc. dictum, nihil ulterius addimus.

§. 15. (λ) Ad hoc quoque causæ genus reducunt nonnulli vapores varios, narcoticos, Mercuriales, Calcis viva, musti vel cerevisiæ effervescentis, fornacum noviter extructarum, fumos carbonum & sim: Sed quod attinet vapores narcoticos, vix illos morbum hunc producere posse putamus, nisi copiosissimi sint, & tunc magnum adhuc superest dubium, annon potius carum vel lethargum aliumve affectum soporosum sint causaturi. Si verò minor eorum est copia, nihil aliud producent, nisi somnum profundiorum. Sic notat B. Sennert. de Cons. & Diss. cap. 11. p. 165. in destillatione opiatorum profundo somno correptos ad fornacem fuisse famulos Pharmacopœorū, quibus ignis cura erat commissa. Vapores Mercuriales, cum habeant potius rationem causæ procatarticæ, de iis agemus infra. Reliqua vaporum enumerata genera non interimunt per apoplexiam, sed potius per asthma aliosve similes affectus. Nam 1. nullus aer ad cerebrum abit, sed omnis in pulmones, etiam is, qui per nares attrahitur, exiguâ tamen, quin imò minimâ parte ad stomachum delatâ, hinc 2. à vaporibus istiusmodi crassis pulmo præcluditur & intercipitur respiratio. 3. Est talium vaporum odor adversus homini, quando ergò sentitur, repellitur sanguis à corde & sistitur, adeoque cor finem micandi facit. 4. tales si refocillentur, vomituriunt, tussis ac dolore pectoris vexantur, febris sæpè jactantur, teste Marcell. Donat. ap. Magnif. Dn. Præsidentem l. 2. s. 2. c. 1. p. 248.

§. 16. (μ) De-

§. 16. (u) Denique quoad vitia spirituum animalium accusant nonnulli 1. cum Paracelso eorum *Phlogosin*, quâ inflammati nervos & tendines exsiccent ac comburant. Sed repugnat iis curatio, quæ perficitur potissimum cephalicis calidis, augens quippe, positâ hâc thesi, potius quàm imminuens morbum. 2. eorum *congelationem*, quæ opinio est *Theod. Angelutii in art. Med. c. 38. Quercetan. in tetrad. graviss. affect. cap. c. 11. Nollii prodr. phys. hermet. cap. 9. p. 70.* 3. eorum *defectum*: quem concedimus quidem intercepto sanguinis affluxu; negamus tamen, eo libero. neque enim possibile est in corpore vivente Spiritus animales affluente etiam sanguine adeo absorberi posse ut planè deficient. 4. eorum *perturbationem*, quæ cum fiat à causa externa, v. g. ictu, sono vehementiori &c. adeoque facile vas aliquod rumpi possit, videndum probè, ne perturbationi adscribamus, quod alia causa præstat; aliàs perturbatio, quâ talis, diuturna cerebri vitia non producit.

§. 17. *Causæ hujus affectus προνυχιδύνας* itidem variæ sunt. Inter has est (α) *certa cerebri ad apoplexiam dispositio*, quæ consistit in tenuitate nimia arteriolarum cerebri, ortâ vel à nativitate vel à causis *Ναπηδησεως*. Cum enim sanguis, uti alibi in corpore, ita & hic exsudet ex arteriolarum extremitatibus, facile apparet, apoplexiam generari posse, si tam raræ sint, ut præter sanguinem serum quoque copiosius exstillare patiantur.

§. 18. (β) *Causa sanguis est*, qui multum præstat ad generandum hunc morbum, non quidem quatenus gutta ejus cor suffocat: sed 1. quatenus planè abest. 2. quatenus erumpit aperto vase. 3. quatenus gignit *Νάθειον Φλεγμονώδη* de quibus omnibus supra §. 3. seqq.

§. 19. (γ) Tertio loco se sistit *Serum*, quod duplici ratione apoplexiam inducit. 1. quatenus obstruit poros substantiæ medullosæ. Sanguinem enim perpetuò comitatur, & ab eodem facili negotio separatur, cum primis si à causa aliqua stimulum effervescent. Tunc enim facultatis vitalis imperium detrectat, sui que juris factum tumultuatur ac quâ da-

ta porta ruit. Quod si ergò in cerebro sit dispositio talis, qualem supra descripsimus, eò maximè fluet. 2. quatenus comprimit cerebrum. Quod fit, si tanta ejus copia intra cranii capacitatem colligatur, ut contineri nequeat amplius, novumque cum sanguine subinde affluat, neque enim in adultis cranium cedere potest, quemadmodum in infantibus, ubi hydrocephalus generatur; neque alius erumpendi datur locus. Et hæc apoplexia ratione $\delta\epsilon\chi\eta\varsigma\ \kappa\epsilon\iota\ \alpha\upsilon\zeta\eta\sigma\epsilon\omega\varsigma$ diuturna est, & multis se signis prodit, quæ tamen è numero apoplexiarum eam non ejiciunt, cum nos spectemus h. l. apoplexiam ratione $\alpha\pi\upsilon\mu\eta\varsigma$. Vid. Exc. Wepf. p. 275. seqq.

§. 20. (δ) Quartum locum damus *corporibus illis fibrosis, candidis, lentis ac tenacibus*, quæ à corde per arterias dispersa, quin imò in venis quoque notat Exc. Wepf. variis in locis: quatenus nempe illa à concitatioe sanguinis motu rupta arterias ad caput abeuntes circa basin calvariæ oppilant.

§. 21. (ε) Tribuimus quoque aliquid *pituitæ seu sanguini crassiori aut viscidiori*. Potest enim eadem facile capillaria cerebri vasa occludere, ut supra quoque dictum. His addunt alii *bilem & Melancholiam*. Verùm bilis, si sincera est, non potest in tanta copia ad cerebrum ferri; sin sanguine permixta, rectiùs sanguini hunc affectum adscribemus. De humore Melancholico res non est ita clara. Si enim intelligat quis per eundem, humorem illum à liene generatum, & massæ sanguineæ inspiratum pro fermentatione tum chyli in sanguine existentis, & à nutritione superflui, tum cibi in ventriculo, multum fallitur. Hic enim naturalis est, & naturaliter constitutus apoplexiam nunquam generabit. Si verò Melancholiæ nomine alium quis humorem adsumat, describendus prius ille & quomodo à reliquis differat, monstrandum. Facimus ergò divortium non tantum à *Cardano*, qui omnem apoplexiam à Melancholiâ deducebat; sed ab aliis etiam, qui huic humori multum tribuunt, inter quos est *Holler*. p. 301. 711.

§. 22. (ζ) Accusat *Holler*. com. in 2. aph. 42. & 3. aph. 31. *flatus*. Hi enim si copiosi sint, eo modo producant apoplexi-

am,

am, quo *Διάφρασις Φλεγματώδης*, dum nimirum arteriolas cerebri inflant & vicinos poros comprimunt.

§. 23. Et hæ, quas hæcenus attulimus causæ inter *περηγυμένας* stare dicto modo possunt. Adducunt alii alias, quæ tamen à Cl. mis horum temporum Medicis non assumentur. Hujus farinae est 1. *Spiritus Volatus*, animales spiritus coagulans *Querzetani*. 2. *Mercurius cremosus Scheünemanni* viscera colliquans. 3. *Venenum anodynum seu Ens potestativum Helmontii*, generatum ex errore digestionis ob defectum archæi, appulsi suo horrorem archæo inducens.

§. 24. Superfunt jam tractatis his solæ causæ *procatartica*, variæ quoque. Inter quas (α) est *aeris constitutio*, quæ ad generationem apoplexiæ concurrat, partim afficiendo sanguinis motum, partim cumulando in corpore hunc vel istum humorem vitiosum apoplexiæ generativum. (β) *Tempus anni vel vernum*, ubi aggreditur natura defecationem massæ sanguinæ, & ab alia causa consternata vitiosos humores in cerebrum detrudat: *vel autumnali*, ubi eam moveri notat *Holler. Scholiast. apud eundem pag. 712.* (γ) *radii Lunares*, teste *Alex. Bened. l. 1. de cur. morb. cap. 33. Macrob. Saturnal. lib. 7. cap. 16.* Hi enim præterquam quod frigefaciunt manifestè, monstrante *Cl. Dn. Wepfer. pag. 260.* sanguinem quoque ab inferioribus ad caput trahunt, hincque vas repletis vel *Διάφρασις Φλεγματώδης* vel aliam apoplexiæ sanguinæ speciem efficiunt. (δ) *affectus animi*, qui maximoperè massam sanguineam commovent turbantque. Sic ex ira homines apoplexiam incurrisse notat *Forest. lib. 10. obs. 70. Helmont. de morb. sed. in anim. sens. n. 12. pag. 451.* ex repentino contumeliæ sensu *id.* ex gaudio nimio *Nymman. cap. 27. pag. 156.* (ε) *Contusio capitis, ab ictu, casu, vulnere &c.* quæ eatenus apoplexiam generat, quatenus vel vas aliquod violento suo insultu circa basin cerebri rumpit: vel ita violat, ut de se mittat sanguinem. Sic quando caput leviter percutitur, sanguis deprehenditur circa tunicam ossis vomeris, quod dirimit meatum aeris, qui respirando ducitur. Cumque hoc aeris iter eum ferat à prioribus naribus usque ad intima faucium, sanguis & de naribus & de ore
exire

exire potest. Idem accidit, quando homo ex alto decidit, quando caput à carnifice detruncatum cadit, quando macelarius bovi calvam clava perfringit, quando cerebrum ejusve membranæ vulnerantur, referente *Experient. Dn. Pras. lib. 3. f. 2. cap. 2. pag. 495. 497.* Ejusmodi exempla varii notant. Ex ictu supra oculum ruptis vasis attonitum vidit *Fernel. de abdit. rer. caus. lib. 2. cap. 15. Conf. CL. Welsch. l. f. c.* & alios, qui vel ex solis alapis homines prostratos viderunt. Hinc *senex noster 2. aph. 58.* ὁπόσοισι δ' ἄν, inquit, ὁ ἐγκέφαλος αἰσθῆται ὑπὸ πινός περὶ φάσις, ἀνάγκη αἰφώνως γενέσθαι ψυχρῆμα. Observamus tamen & hoc, nonnunquam istiusmodi contusionem capitis causare tantum διάσεισιν φλεγμονώδη, quia non omnes moriuntur, sed nonnulli post aliquot dies curantur, (ζ) *soni vehementiores.* Sic infantem ictu bombardæ audito sideratum & mortuum notat *Amat. Lus. cent. 3. cur. 22.* Juvenem quoque vidit *lumen anatomicorum D. Thom. Barthol. cap. 3. obs. anat. 3.* qui sine sensu motu ac voce ab exploso sclopeto nucham versus quinque diebus jacuit. Pari ratione ex terræ motu apoplecticum quendam concidisse scribit *Beroaldus.* Præstantque hoc istiusmodi causæ, non ut vulgò creditur turbando Spiritus animales, quia si quis durationem symptomatum diuturniorem & curandi rationem expendat, vix soli spirituum perturbationi hunc symptomatum cumulum adscribere poterit; sed terrendo ac subito consternendo. Quando enim homo metu perterretur, semper stat quasi in venâ majori sanguis, inquit *Excell. Dominus Pras. l. 3. f. 1. cap. 1. pag. 19.* quod reliquum est sanguinis & humorum in corpore, natura tunc non regit amplius, sed quasi promanare patitur. *Ib. cap. 9. pag. 386.* Facile ergò fieri potest in tam vehementi affectu vel sanguinem vel serum de vasis cerebri exire, & apoplexiam generare. (η) *Venus nimia.* Præterquam enim quod hæc corpus debilitat, idque succo vivifico privat, unde facile cruditates in sanguine generantur; tum cum primis sanguinis motum, celeriores reddit, & hæc ratione fenestram apoplexiæ utramque aperit. (θ) *Motus corporis,* qui sanguinem evidenter commovet, & fervidiorem reddit. (ι) *Caput replentia, & meatus cerebri*

rebra occludentia, qualia sunt narcotica omnia, cum primis opium, vinum (quod tamen & sanguinem multum commovet,) spiritus varii destillatione parati, teste Craton. Conf. 37. absinthium, crocus, allium & sim. (κ) *otium* vitiosi humoris pulvinar ac sustentaculum (λ) *somnus*, qui, si nimius fuerit, cerebrum non parum lædit (μ) *ætas senilis*, quæ vel ipse morbus est, teste Cicerone in Cat. maj. vel fœcunda morborum proma conda, deficiente nim. pedetentim calore sanguinis, collectisque excrementorum pituitosorum copiis non exiguis (ν) *vapores mercuriales*, teste Langio lib. I. ep. 43. Wepfer. pag. 302. Qui quidem id præstant hoc modo: Quando vapores Mercuriales, (qui nihil aliud sunt nisi ipse Mercurius in atomos suas redactus) per respirationem attrahuntur, concipiunt venæ argentum vivum, & massæ sanguinæ miscent. Hinc luctatio existit. Versatur enim jam in sanguine res aliena & inimica. Insurgit ergo natura, & mercurium vivum cum multâ salivâ per os naturaliter ejicit, nonnunquam quoque alvum, urinam & sudorem simul movet. Interdum tamen aberrat à scopo suo, & tunc prærius fertur ex sanguine in cerebrum, teste Magnif. Dn. Præf. lib. 3. s. I. cap. II. Quod si igitur & ibi argentum vivum cum multo sero ejiciatur, facile generabit apoplexiam, cum certum sit & supra demonstratum, posse à sero in substantiam cerebri porosam effuso produci apoplexiam. Atque ita recedimus ab iis, qui putant, Mercurium solâ compressione cerebri producere morbum sideratum. Legimus enim apud Petrum Castellum, itemque Cardanum lib. 5. de subtil. quem citat Pincier. lib. I. ænigm. 21. pag. 43. repertas intra cranium prærii prærii, qui tamen præter ingentem capitis dolorem & gravitatem nihil produxerat, cum contra apoplexiam debuisset generare, si comprimendo par fuisset (ξ) addunt nonnulli his causis *fulmen*. Sed cum hoc potius lædat facultatem vitalem quam animale, ob odorem sulphureum, qui ipsi conjungitur, ideoque de eo h. l. non agimus. (θ) spectant huc quoque *balnea*, quæ in plethoricis sanguinem concitatus movendo facile producere apoplexiam possunt, cujus rei exemplum habet Exc. Wepf. pag. 238.

D

CAP. IV.

CAP. IV.

De Signis Apoplexiæ Diagnosticis, tum in genere, tum in specie, itemq; Prognosticis.

§. 1. Signa circa hunc affectum vel *diagnostica* sunt vel *prognostica*. *Diagnosticæ* alia respiciunt inclinationem ad morbum, seu morbum imminens; alia actu præsentem.

§. 2. Signa, quæ dispositionem seu inclinationem ad apoplexiam respiciunt, varia sunt. Facile enim apoplexiâ corripuntur (α) ii, quorum parentes hoc morbo laborarunt, quia communicata est his dispositio cerebri ad apoplexiam habilis. (β) Senes. Licet enim pueri non planè immunes sint ab hoc morbo, cujus rei exemplum notat Nymman. cap. 18. p. 124. rarum tamen hoc est 1. quia pueri *ως αυξανόμενοι πλείστον έχουσι έμφοτον θερμόν* seu sanguinem calidiorem, adeoque non multis excrementis scatent; vel si scateant, ea tamen citò & ordinariè deponunt, ob firmam adhuc vegetamq; vim in sanguine vitalem. 2. quia non adeò exponuntur causis procatarctiis cap. præc. allatis. (γ) Catarrhosi & humoribus vitiosis ac crassis abundantes. (δ) Plethorici. (ε) Propensi ad somnum nimis profundum, cum magno stertore & in somniis horribilibus. (ζ) Vertigine, gravedine, dolore capitis, oculorum tenebris vel splendoribus, & aurium tinnitu vexati. (η) Linguâ sæpius hæsitantes. (θ) partes tremulas & (ι) faciem pallidam & subtumidam, vel ex atro quasi rubentem habentes. (κ) otio, crapule, veneri immoderatus dediti. Nymman. cap. 46. (λ) qui brevi angustâq; sunt cervice. Fernel. path. l. c. (μ) dicit Gremf. p. 169: hominem in manu & fronte signum gerere, quod designet, ipsum apoplexiâ moriturum: sed quale illud sit, non explicat. (ν) addit quoque id. ib. vomitum, fretus falsâ suâ hypothese de generatione veneni anodynii in ventriculo. Huc spectat quoque ex B. Sennerto (ξ) frequens incubus (ο) memoria imminuta (π) refrigeratio extremorum sine causa.

§. 3. Signa morbi jam præsentis sunt hæc: (α) egri subito & ex improvise in terram prolabantur. (β) membra omnia resolu-

soluta habent ac laxa, ita, ut elevatum brachium vel pes pondere suo rursus decidat velut in demortuo. (γ) Sensu, ratione, motu animali omni penitus destituuntur, ita tamen, ut (δ) pulsus, & (nisi validissima sit apoplexia) respiratio ad tempus illæsa maneat, (vel quia est actio non purè animalis, sed maximam partem naturalis: vel quia natura de salute hominis sollicita, quicquid spirituum potest ad muscolum thoracis mittit, uti vult ὁ ἰατρίης Sennert. Med. pr. l. 1. part. 2. c. 33. vel quia spiritus animales, qui supersunt, viam per nervos in partes respiratori dicatas ad influendum inveniunt, quoniam hi nervi ob motum respirationis, qui jam inde à prima nativitate & dormienti & vigilianti, sine ulla intermissione continuatur, magis quàm reliqui omnes totius corporis, nervi ac muscoli ad spiritus vicissim recipiendos sunt adaptati, quod locum tantum habet in apopl. serosâ. CL. Wepfer. p. 272.) præterquam quod fiat ore hiante. (ε) Color faciei vividus interdum perstat.

§. 4. Et hæc sunt signa affectus hujus, quibus suppositis ab aliis affectibus facile dignoscitur. Differt enim apoplexia à *Lethargo* 1. quia Lethargici tantum soporosi sunt, & excitari possunt, quin imò excitati ad quæsitâ interdum respondent: apoplectici verò ceu mortui jacent, & nec vident, nec clamores audiunt nec sentiunt punctiones, multò minus loquuntur. 2. Lethargus est cum febre; apoplexia, quâ talis, sine febre. *A caro*, 1. quod hic sensim invadat, apoplexia subitò. 2. quod in caro superstes adhuc sit aliquis sensus, quia puncti ægri membrum contrahunt; in apoplexia verò nullus. 3. in caro respiratio magis libera est quàm in apoplexia. *A catalepsi*, quod in hæc membra sint rigida, ægriq; in eo situ, in quo sani vel stantes vel sedentes fuere, maneat; in apoplexia contrà membra laxa sunt, ægriq; concidunt. *Ab uteri suffocatione*, 1. quod in hæc sensus, quos apoplexia abolet, nonnunquam maneat. 2. præfocatae habent faciem cadaverosam, apoplectici vividam. 3. in præfocatis respiratio est liberior, in apoplexia magis impedita. 4. in præfocatis pulsus est languidus, in apoplexia fortis. 5. præfocatae in invasione femora hinc inde torquent, & de dolore uteri, hypogastrii, ac vicinarum partium

conqueruntur; apoplectici concidunt statim, antequam de dolore conqueri possint. *A Syncope* 1. quod facies ægri in syncope sit cadaverosa; in apoplexia non item. 2. Syncoptici ad sensum non respirant, apoplectici satis vehementer. 3. Pulsus in apoplecticiis plerunq̄ue validus est, in syncopticis ferè nullus. 4. In apoplexiâ membra laxa sunt; in syncope ægri dentes & manus arctè claudunt. 5. Syncoptici velocius concidunt, tardius apoplectici notante *Nymm. c. 5. p. 21.* *Ab ecstasi* 1. quod ægri excitari possunt. 2. quod pulsus & respiratio obscuratur. *Ab Epilepsia*, quod ægri concidunt & stipitum instar tranquilli jacent; Epileptici verò motum corporis convulsivum habent. *A catarrho suffocativo* 1. quod hic sensibus integris hominem suffocet, secus ac apoplexia, quæ sensus omnes abolet. 2. in apoplexia manet respiratio, in catarrho verò suffocativo aboletur, quia latex serosus modò è vasis pneumonicis immediatè in pulmones suffunditur, modò arteriis in laryngem dehiscens exudans in pectus decumbit, adeoque pulmones replet, & aeri viam præcludit. *Vid. Celeberr. Dn. Presid. lib. 3. f. 2. c. 5. p. 545.* *A fulminis consternatione* 1. quod hîc est facies cadaverosa. 2. respiratio nulla. 3. pulsus vix perceptibilis aut ad minimum intermittens. 4. spirant odorem sulphureum. 5. oritur hæc non nisi prægressâ tempestate.

§. 5. Jam ad signa differentiarum apoplexiæ, quæ pro earum diversitate diversa quoque sunt. Et initio quidem magnitudo apoplexiæ cognoscitur ex respirationis noxâ majore vel minore, uti supra c. 1. dictum.

§. 6. *Apoplexia, quæ oritur ex carotid. internarum & vertebraliū arteriarum, quoad truncos obstructione*, obnoxii videntur potissimum 1. otiosi perpetuò. 2. obasi. 3. alimentis viscidis ac lentis utentes. 4. cachectici. 5. facie & manibus lividi vel saturatè rubescentes. 6. pulsum perpetuò inæqualem habentes. 7. asthmatîci. 8. sæpius palpitatione cordis vehementiore vexati. Quæ tria posteriora signa certissima sunt.

§. 7. *Apoplexia, quæ provenit ex obstructione ramulorum, quos dictæ arteriæ spargunt per cerebrum*, cognoscitur ex

con-

constitutione corporis pituitosâ & sanguine viscido, ob e-
sum piscium, otium, victum lautiozem & alias causas pitui-
tam generantes.

§. 8. *Sideratio orta ab apertione p̄naturali vasis cognoscitur*
exinde 1. adest plethora. 2. præcedit capitis gravitas, verti-
go, & sim. 3. initio non est admodum valida, crescit tamen
quoad magnitudinem exiguo tempore, vidente quasi & pal-
pante Medico. 4. præcesit ut plurimum causa aliqua evi-
dens & procatarctica, v.g. potus vini generosioris, balnea, af-
fectus animi, sim. Eadem signa sunt *Διὰ θέσεως Φλεγμονώδης*,
præterquam quod illa non tam citò in pejus ruat, sed post
diem unum alterumve convenientibus medicamentis cu-
retur.

§. 9. *Quæ ob obstructionem pororum cerebri à sero oritur,*
apoplexia sequentia signa habet. Aegri 1. diurnam capitis
gravitatem percipiunt. 2. crebrius vertigine corripuntur.
3. tenebræ oculis nonnunquam offunduntur, nonnunquam
vagi splendores. 4. aures tinniunt. 5. somnolenti sunt.
6. somnia habent horrenda. 7. incubo vexantur. 8. dor-
mientes dentibus strident. 9. ad motum segniore sunt.
10. palpebræ micant. 11. sensus formicationis percipitur in
brachiis vel spina dorsi. 12. manus & quandoque totum cor-
pus tremit. 13. Vox sæpius interrumpitur. 14. rerum adest
oblivio & 15. nonnunquam mentis abalienatio.

§. 10. *Ea autem sideratio, quæ ob cerebri compressionem*
à sero intra cranium immoderatus collecto accidit, eo sese
πικρῶ prodit, quod una actio animalis post alteram langvescat
& aboleatur, donec denique repleto penitus cavo calvaria,
illæ quoque, quæ residuæ huc usque manserunt, uno momen-
to tollantur.

§. 11. *Reliqua Apoplexiarum genera à causis evidenti-*
bus ac procatarctis orta, cognoscuntur facillimè ex astantium
relatione.

§. 12. *Et hætenus quidem de signis diagnosticis. Jam*
ad prognostica, ex quibus de bono vel malo eventu judicare
solent Medici, quæ plura sunt, uti ex sequentibus patebit.

§. 13. *Qui sani repente doloribus capitis tentantur, & statim obmutescunt & stertunt, in 7. diebus pereunt nisi febris superveniat. 6. aph. 51. 5. aph. 5.* Ubi quidem intelligitur febris acuta materiam in arteriis cerebri hærentem tum attenuans tum dissolvens, ex mente B. Sennert. *med. pr. lib. 1. part. 2. cap. 33.* Quod videre etiam est ex *1. prorrh. com. n. 2. aph. 50.* ubi inquit *divinus senex: si subitaneis apoplexiis febris mediocris ac diuturnior superveniat, periculosum.* Ex quibus facillè patet, valere aphorismum hunc tantum de illâ apoplexiâ, quæ fit propter obstructas arteriolas ab humore viscido ac pituitoso.

§. 14. *Apoplexiam fortem solvere impossibile est, debilem non facile. 2. aph. 42.* Omnis enim apoplexia periculosa: periculosior tamen ea, quæ non tantum facultatem animalem multum lædit, sed etiam respirationem inhibet & abolet.

§. 15. *Quo liberior respiratio, eò melius sperandum.*

§. 16. *Si eger adhibitis ptarmicis sternutet, bonum signum est.* Notat enim apoplexiam non adeò fortem, influente adhuc spiritu aliquo ad tunicam narium, cujus sensu stimulo sternutatio oritur, vid. Exc. Dn. Præs. de oss. cribrif. p. 463.

§. 17. *Si apoplecticis à difficili respiratione sudor superveniat, lethale.* Provenit enim à læsâ insigniter facultate vitali sanguinis, adeò quidem, ut regere & continere humores nequeat ulterius, sed quorsum libet, emanare eos patiatur.

§. 18. *Si alvus sponte fluat & absque allevatione multum dejiciat, malum, ob eandem rationem.*

§. 19. *Si post sanguinis missionem vel unicam vel iteratam neque mens neque motus redeat, egrum ut plurimum moriuntur.* Designat enim hoc vel vas in cerebro apertum, vel materiam ita cerebro impactam aut copiosam, ut revelli nullo modo possit.

§. 20. *Si apoplexia juvenem æstate invaserit, periculosa est.* Oritur enim ex constitutione Plethoricâ & sanguinis effervescentiâ, quæ æstivo tempore difficilius sedatur, sed potius ab intemperie aeris calidiore incrementa sumit.

§. 21. *Spuma circa os ut plurimum lethalis est. 2. aph. 43.* quia denotat apoplexiam fortiolem & pulmonem adeò læsum,

sum, ut humorem, quo tunica asperæ arteriæ naturaliter uda est, cum violentia protrudat.

§. 22. *Stertor omnis malus est: 6. aph. 51.* quia fit musculis gutturis ac thoracis resolutis & non amplius ad respiracionem concurrentibus. Adeoque denotat quidem fortim, sed non semper lethalem apoplexiam.

§. 23. *Apoplexia à corporibus fibrosis orta vel difficulter curabilis vel planè incurabilis est. Wepfer. p. 204.* Cùm enim apoplexiæ cujuslibet curatio absolvatur materiæ revulsione, evacuatione, capitisque per antapoplectica confortatione, nullum tamen horum hîc locum habere potest. Nam 1. venæ sectio, quæ generosissimum inter revellentia est, sanguinis quidem impetum ad locum affectum coërcet, at corpora impacta non revellit. 2. Purgantia requiruntur fortissima, at talia cor ob eadem corpora ibi stabulantia antihac factis afflictum, magis destruant & debilitant. 3. apophlegmatismi errhina, & sim. crassos humores ex cerebro, vel locis longinquiorebus non educere possunt, sed tantum ex proximis & minimis vasis oris & narium aquatiorem humorem trahunt, teste *Exc. Dn. D. Schneid. lib. 3. f. 1. cap. XI. pag. 433.* Eadem ratio est vesicantium & sim. 4. neque vis Balsamorum propter distantiam & osium interpositionem eò pergit. 5. aquæ & Spiritus antapoplectici sanguinem accendant funduntque, ac ita arterias istas plus infarciendo nocent potius quàm prosunt.

§. 24. *Apoplexia à pituita arteriolas capillares obstruente, & ea quæ est à Νεφέσει Φλεγμονώδη curabilis est & ægro plenam valetudinem pollicetur.*

§. 25. *Apoplexia quæ oritur à sanguine copioso extravasato incurabilis est.* Primò enim difficile est arterias claudere, ne plus sanguinis effluat. Deinde sanguis jam extravasatus neque sensibiliter ob loci, in quo hæret profunditatem educi potest, neque insensibiliter etiam per discutientia, quia hæc si penetrent, sanguinem fluxilem magis reddent, & ad effluendum promptiorem.

§. 26. Apo-

§. 26. *Apoplexia à sero in substantiam cerebri effuso curabilis quidem est & ab initio non ita fortis; sed tales aegri saepius recidivam patiuntur, quâlibet recidivâ diriora sui vestigia relinquente, donec tandem fractis medullæ viribus apoplectici moriantur. Cum enim apoplexia hæc præsupponat certam cerebri dispositionem, facile sero effervescente paroxysmus redire potest.*

§. 27. *Relinquit etiam hæc apoplexia, sensibus externis & motu reparatis imbecillitatem aliquam & vitium in internis. Licet enim de seri naturâ sit, facile discuti posse, quia tamen profundis cerebri partibus se quoque immergit, quorsum medicamentorum virtus vix penetrare potest, aut quia non raro ipsi aliquid mucosi, ut CL. Piso monet, permiscetur, non exigua ejus portio immota perstabit, & à reliquiis istis facile labes aliqua sensibus aspergetur, quæ ægrè emendabitur, inquit DN. Wepfer. p. 248.*

§. 28. *Quæ denique à sero copiosius collecto ac cerebrum comprimente oritur apoplexia, præservatione potius præcaveri debet, quàm tolli curatione potest. Si enim in ullo aliquo morbo præ principii obsta locum habet, in hoc ipso cumprimis habet, adeò, ut nisi æger se maturè perceptis prodromis perito Medico credat, de ejus vitâ ut plurimum actum sit. Ante enim quam istiusmodi colluvies revulsione, evacuatione, discussione, exsiccatione & similibus præsidiiis è cranii capacitæ tollatur ac removeatur, ægri, pressio jam ac collapsio cerebro, seroque continuo affluente, vel centies exspirare possunt.*

§. 29. *Apoplexia pituitosa & Πλεγματώδης, solvitur perfecte; serosa verò plerumque in hemiplegiam seu paralysem alterius lateris desinit, expulso seri reliquo in spinalis medullæ medietatem alterutram. Fitque paralyssis ista potissimum in eo latere, cui æger incumbere consuevit, cum excrementa, morbi hujus pararii, copiosiora ibi colligantur, firmitusque se partibus insinuent. CL. Wepfer. pag. 263.*

CAP.

CAP. V.

De Apoplexiæ Therapiâ.

§. 1. Atque ita egimus hætenus de Apoplexiæ *Diagnosi & Prognosi*, sequitur demum ultimò *Therapia*, quæ, uti in aliis morbis, triplici indicatorum genere absolvitur. Est ergò h. l. *indicatio curatoria* potissimum obstructio seu arteriarum seu pororum, quæ sui ablationem seu apertionem indicat. Cum autem hæc non possit tolli, nisi sublatâ causâ, accedit jam *indicatio præservatoria*, quæ sollicita est de causæ remotione. Et denique finem imponit *indicatio vitalis*, quæ ex viribus ægri desumitur, & circa diætam versatur.

§. 2. Perficietur igitur Apoplexiæ curatio quatuor potissimum indicatis præservatoriis, 1. excitatione facultatis animalis. 2. Causæ morbificæ revulsione. 3. ejusdem evacuatione & 4. denique capitis roboratione.

§. 3. Ac ut de singulis quidem ordine dicamus, *Primum* quod attinet, æger in loco temperato collocatus erectâque cervice aliquâ ex parte sedens os interposito cuneo apertum habeat. Quod ultimum tamen semper opus non est, cum apoplectici plerunq; jam tum ore patente respirent, & membra laxa sint, nec contracta ut in Epilepsiâ. Hinc nares prehendantur, pili potissimum in cruribus vellicentur, digiti complicentur, corpusque moderatè concutiatur. Quæ tamen agitatio nullibi locum habet, nisi 1. in apoplexiâ ortâ à leviori obstructione arteriolarum cerebri. Tunc enim agitato corpore agitur sanguis, qui ad validiorem motum incitatus pauxillum illud obstruens ex arteriolis excutit. In reliquis apoplexiæ speciebus planè improbat, cum magis humores commoveat *Forest. lib. 10. obs. 74.* 2. in corporibus puris. In Cacochymicis enim illâ motione sæpius mors accersitur. *Exempla vid. apud Forest. l. c. Nymman. c. 39. p. 202.*

§. 4. Peractis his *secundò* ad ea procedendum, quæ revellunt causam morbificam, & ad alia loca distrahunt. Licet enim horum plurima vim quoque habeant facultatem ex-

E

citan-

citandi, usus tamen eorum potissimus est revulsio. Talia sunt
(a) glandes seu suppositoria paulo acriora, v.g.

Rx. Mell. ad spissitud. coct. ℥ij.

Spec. hier. Logadii

Sal. gemm. an. ℥j.

Sem. carvi

Nigell. an. ℥℞.

M. F. Suppositor.

§. 5. (β) Clysteres ex medicamentis acribus & eva-
cuantibus, additis tamen emollientibus, habitaque ratione
magnitudinis Apoplexiæ. Et quidem clysteres tam ante,
quam post venesectionem adhiberi possunt, si eâ opus sit: &
unâ die bini ternive non habito respectu seu nocturni tempo-
poris. Clysteres sunt sequentes:

Rx. Spec. pro decoct. flor. & fruct. ℥j.

Folior. Senæ,

H. Fumar.

Cichorii an. ℥℞.

Sem. Malv.

Pœon.

Lactuc. an. ℥j.

Coq. in s. q. seri lactis.

Cola & Colatur. ℥℥j. adde

El. de cas. cum Mann. ℥j℞.

Ol. Chamomill.

Violar. an. ℥℞.

Sal. comm. ℥j. F. Clyster.

Vel:

Rx. Spec. pro dec. aperit. min. ℥j.
carminat. ℥℞.

H. Betonic.

Chamæpith.

Lavendul. cum flor.

Origani an. M℞.

Coq. in s. q. aq. s. Colat. ℥℥j.

Ad

Adde
Elect. Catholic.
Conf. Hamech. an. ʒβ.
Mell. anthosat. ʒvj.
Sal. Gemm. ʒij.
F. Clyster.

§. 6. (γ) Inter revellentia generosissimum est, præprimis in hoc affectu, Venæsectio; ubi tamen diligenter observandum, an adhiberi possit nec ne. Multos enim eâ adhibita refectos; multos quoque ejus intermissu minus benè curatos notant autores. Forest. lib. 10. obs. 76. Nymman. c. 36. ex Dodon. obs. Med. c. 8. Wepfer. lib. de apoplex. & alii. Et huc quoque trahunt dictum Celsi lib. 3. c. 28. ubi scribit: venæsectionem in hoc affectu vel liberare vel occidere; cum tamen hoc spectet potius ad prognosin, quæ nimirum adhibita dat signum vel mortis vel vitæ, quod patet ex verbis post lineas duas sequentibus.

§. 7. Adhibenda autem Venæsectio in apoplexiâ 1. si habeat rationem causæ principalis v. g. in apoplexiâ sanguineâ. 2. si habeat rationem causæ adjuvantis v. g. in apoplex. fibrosâ ac pituitosâ. 3. Si concurrat ut conditio sine quâ non, v. g. in apopl. serosâ. 4. Vires, æstimandæ non ablatione actionum animalium, sed constitutione ante morbi invasionem. Intermittenda autem Phlebotomia 1. si sanguis nullo modo peccet. 2. si vires sint dejectæ v. g. si apoplexia oriatur post morbum chronicum &c. Si Medicus nimis serò advocetur. Sic Forestus lib. 10. obs. 81. post 7mum diem à venæsectione abstinebat. 3. si æger sit admodum senex.

§. 8. Neque ergo cunctandum cum generoso hoc remedio, sed administretur illud statim, sive diu sive noctu quis concidat. Quin imò præmittenda clysteri phlebotomia, si fortior sit morbus; sin verò mitior, clyster præmitti poterit.

§. 9. Agitur quoque insignis controversia inter praticos, quænam vena sit aperinenda. Nonnulli venas frontis & narium, alii venam inter indicem & pollicem, alii saphænam, alii denique cephalicam aperiunt. Nobis placet sectio

venæ majoris in brachio, quæcunq; illa demum sit, & in quocunq; etiam brachio, nonnunquam in utroq;.

§. 10. Quantum autem sanguinis mittendum sit, indicabunt tum vires tum peccandi modus. Quando enim fortitudo virium adest, & sanguis rationem causæ principalis habet, tum procul dubio plus emittendum. Quando verò solùm concurrat ut causa adjuvans, vel conditio sine quâ non, tunc parcius evacuandum, habito tamen semper respectu ad vires. Ubi tamen notat B. Sennert. med. pract. l. c. utilius esse ac tutius non unâ vice mittere, quantum opus est sanguinis, sed per vices, intratamen paucarum horarum spatium. Nam per iteratam illam sanguinis missionem & materia facilius movetur, & vires non dejiciuntur; & non magna fit spirituum jactura; teste Bern. Verzasch. exerc. de apopl. f. XI. p. 25.

§. 11. Quod si verò propter causas supra allatas adhibere phlebotomiam non liceat, vicem ejus supplebunt. (γ) cucurbitulæ applicatæ cum sacrficatione cruribus, brachiis, lumbis, scapulis, imò vertici, quod ultimum remedii genus Hieron. Fracastorius (memor adhuc virginis monialis Veronæ à se curatæ) nutibus remittente paululum morbo significavit, verum non intellectus periit. B. Senn. l. c. Et hoc remedii genus magni etiam æstimat CL. Hœferus hercul. Med. tom. 1. l. 1. c. 1. Non autem commodè applicantur hypochondriis vel posteriori thoracis parti, quia respirationem h. m. impediunt.

§. 12. His addunt etiam (δ) hirudines. Sic scribit Valesc. de Tarantâ lib. 1. c. 19. apud Celeb. Nymm. c. 39. p. 230. Medicum quendam, cum in Apoplectico obeso nullas venas observare posset, cuti ferè per totum corpus sanguisugas applicasse, sicque ægrotum restituisse. Sed qualia incommoda hæc evacuatio secum trahit, notat sagacissimus Walæus meth. med. p. 82.

§. 13. (ϵ) Ultimam inter revellentia sedem habent frictions, licet in ipso morbi principio possint adhiberi. Quamquam enim eo passu evanidæ, ut inquit Gremf. p. 169. & si aliquis excoriaretur, non posset à quarto sinu pituitam trahere;
attra-

attrahunt ex proximis vasculis, quibus inanis alius humor sequitur, & excitant præterea facultatem sopitam.

§. 14. Quæri etiam solet h. l. an repellentia in apoplexiâ profint? Alii aliter hæc de re sentiunt. Nos eorum usum admittimus: 1. si moderata sint, nec actu frigida, nec valdè adstringentia. 2. si apoplexia sit sanguinea. 3. si præcesserit revulsio per venæsectionem.

§. 15. Tertio evacuatur causa morbifica quatuor modis: purgatione per alvum, sudatione, discussione, & exsiccatione. (a) Purgatio tollit humores seu calidi illi sint seu frigidi seu serosi.

R̄. Aq. fl. Pœon. ℥ij.
Rolar. ℥β.
Dissolv. in iis
Mannæ ℥vj.
Cola & Colaturæ adde
Sir. rosar. solut. ℥j.
F. Potio pro humoribus calidioribus.

Vel R̄. Extr. Cathol. B. Senn.
MPil. sine quibus an. ℥j.
Pulv. Polychr. Dn. Præs. gr. iiij.
Ol. succin. d. gutt. j.
F. pilulæ num. xx. deaurentur, pro evacuando humore frigido.

Si verò crassior sit humor, ut præparatione indigere videatur, attenuantia purgantibus admisceri possunt, (& in Apoplex. à corporibus fibrosis cardiaca) e. g.

R̄. Fol. Senæ ℥β.
Mechoacann. ℥jβ.
Turbit. ℥β.
Flor. primul. ver.
Stœch. arab. an. p. ij.
Zingib.
Schœnanthi an. gr. xv.
Coq. in aqu. s. q. s. Colaturæ ℥iij adde
Sir. de Beton.
de S. radic. an. ℥β.
F. Potio.

E 3

(β) Tol

(β) Tollitur quoque residuum causæ morbificæ medica-
mentis *sudoriferis*, quæ materiam jam attenuatam per ambi-
rum corporis dispellunt. Talia sunt sequentia :

Rx. Conf. rad. Scorzoner. ℥β.
flor. primul. ver. ℥ij.

C. C. præp. ℥j.

Corallior. pp.

℥ii diaploret. an. ℥j.

F. Bolus hydroticus.

Vel:

Rx. Aq. apopl. Nymm. cum castor.

fl. primul. ver. an. ℥j.

Tinctur. Bezoard. Dn. D. Michaël. ℥j.

Sir. Bezoard. Dn. D. Schneid. ℥j.

F. Potio sudorifera.

(γ) Ad evacuantia quoque pertinent ea, quæ materiam
in cerebro residuam *discutiunt*, quod præstant optimè fomen-
ta & Embrochationes, v.g.

Rx. Rad. pœon.

Cyperian. ℥β.

H. Melissæ

Verben.

Aneth.

Linar. an. Mjβ.

Flor. Melilot.

Chamom. Rom. an. Mβ.

Sem. anisi

carvi an. ℥ij.

Incisa & tusa crassiusculè incidantur sacculo
pro fomento.

Vel:

Rx. H. Beton.

Rutæ

Salviæ

Origan.

Serpilli an. Mj.

Rad.

Rad. ireos
Pœoniæ an. ʒvj.

Bacc. Lauri
Juniperi an. ʒß.

Sem. anis.
fœnicul. an. ʒiij.

F. Fomentum.

(d) Denique, si nimis humectatum sit cerebrum ab humoribus pituitosis ac serosis, *exsiccantia* adhibenda, qualia sunt cephalica calida tum interna tum externa, applicata in formâ electuariorum, Rotularum, Cucupharum &c.

§. 16. Neque tamen evacuationis loco in principio statim vomitus ciendus, quod præter *Græcos & Arabes* nonnullos præcipit *Helmontius de morb. sed. in an. sens. n. 3. pag. 449.* & *Gremsius pag. 169.* Est enim omnis apoplexia, etiam mitissima, satis periculosa, adeò ut excitato vomitu metum suffocationis augere, sit dubiis se fluctibus committere; quamvis & in apoplexiâ bono cum successu vomitum notet *Bern. Verzascha exerc. de apopl. f. 12. p. 31.*

§. 17. Quartò capitis corroboratio perficitur per cephalica & apoplectica tum interna, tum externa. *Ad interna* spectant (α) aquæ & potiones antapoplecticæ, in apoplexiâ sanguineâ circa finem, in pituitosâ vero etiam in principio adhibendæ. Tales sunt:

℞. Aq. Rosar.
Violar. an. ʒj.
spir. Cerasor.
Essent. flor. pœon.
anthos an. ʒij.

Tinct. Corallior. ʒj.

Solut. Margar. ʒß.

Sirup. Corallior. ʒj.

F. Potio temperata.

Vel:

℞. Aq. apoplect. Nymm. cum Castor.
Magnanimitatis an. ʒj.

Solut.

Solut. Perlar. gr. xvi.

Sir. de Cinam. ℥iij.

F. Potio calidior.

(β) Julebi, Emulfiones Electuarfa & similia v.g.

Rx. Dec. hord. cum Rad. Scorzon. & C. C. ℥j.

Coralliorum pp.

Margarit. pp. an. ℥j.

ſ. lap. precios. pp. an. ℥j.

Aq. cinamom. ℥℞.

Sachar. alb. q. ſ.

F. Emulfio.

Rx. Conf. flor. prim. ver. beton. an. ℥iij.

Spec. contra Apoplex. August. ℥iij.

Diambrae

Corallior. p. p.

C. C. pp. an. ℥ij.

Pulv. rad. poeon.

caryophyl.

N. moschat. an. ℥j.

F. cum sir. d. stœchad. Electuarium.

*Ad externa confortantia spectant Balsama odoramenta
linimenta & sim. e.g.*

Rx. Ol. Nuc. mosch. express. ℥ij.

d. Majoran.

Rutæ

Succin. an. g. iij.

anthos

lavendulæ an. g. ij.

F. Balsamus.

Rx. Ung. de Bdellio Nervin. an. ℥℞.

Ol. d. succin.

Majoranæ

Rut. an. g. iij.

F. Linimentum ad nucham & spinam

dorsalem.

§.18. Hac

§. 18. Hac medendi ratione discessum facimus, uti quilibet videt, ab *Helmontio*, qui *lib. de ignot. act. regim. n. 40. p. 270. it de morb. sed in an. sens. n. 3. p. 449.* & denique *de jur. duum vir. n. 17. p. 242.* apoplexiam stomachis & spleneticis curare conatur.

§. 19. Et hæc de curatione in genere dicta sufficiant: quæ de singulis hujus morbi speciebus dici possent, iis hæc vice supersedemus, cum in hæc tractatione semper earundem mentio facta sit, si non explicitè, implicitè tamen; nam omnes ad duo summa genera redigi possunt, ad calidam nempe seu sanguineam, & frigidam seu pituitosam. Superest adhuc sola præservatio, cui sequens parapraphus facer esto.

§. 20. Quando itaque quis signa Apoplexiæ cap. præc. allata secum persentiscet, ne cunctetur, sed imminens malum potius præcaveat, quod fieri aliter nequit, nisi *causarum ἀγεννησιμίας* generatione impeditâ, vel jam generatarum evacuatione, itemq; capitis roboratione. Prius obtinetur tum accuratiore diætâ, temperamento contrariâ: Sic Plethoricus utatur quidem cibis benè nutrientibus, sed frigidioribus paulò: pituitosus calidis ac tenuioribus; tum venæsectione & purgatione humorum, seu calidi illi sint seu frigidi; justo tamen tempore; tum aliis rebus alterantibus, quò spectat aer, exercitia & sim. Posterius perficitur per medicamenta cephalica nunc temperata nunc calidiora sub variis formis exhibitâ. Ubi tamen peculiariter notandum, aquas antaploplecticas spirituosas in apoplexiâ sanguineâ nullo modo, in pituitosâ cautè ac moderatè usurpandas esse, quia pollent vi narcoticâ & oppletivâ cerebri, *Crato Conf. 37.* Qui plura de præservatione ac diætâ desiderat, abeat ad *B. Sennert. Med. pract. l. f. c. Nymm. cap. 46. pag. 298. Bern. Verzascham l. c. f. 13. pag. 35. seqq.* & alios, qui fufius hac de re scripserunt.

§. 21. Omnia nunc acta sunt, quæ quidem in pagellas tot ab ingenio minus exercitato redigi potuerunt. Vidi nus

F

CV ΠΑ-

ὦ μαρτύρε Apoplexiæ quidditatem, differentias, causas, diagnosin, prognosin & Therapiam. Jam quid restat? nihil, nisi ut ad Te revertamur, *inexhausta sapientia, eterna veritas*. Revertimur igitur ad Te, & pro assistentiâ Tuâ pleno ore laudes rependimus. Tibi, DEUS, qui es, & eras, sit gloria & potentia in secula seculorum
Amen.

✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠

TE, Leisnere, juvat medicos evolvere libros,
Et sacra Naturæ prosperiora sequi.
Pergito! Te tandem proles apoplectica laude
Laudabit multâ: nam Tibi Jova favet.

Ita gratulatur

CONRADUS VICTOR SCHNEIDER,
D. h. t. Rector.

Ardua pertractas, dum doctâ mente revolvis
Causam Apoplexiæ; Frater amate mibi,
Perge ita ceu pergis: Te digna brabea manebunt,
Quæ Leisnere Tibi noster Apollo dabit!

Mens & manus
T.

GOTTLIEB GEORGII SCHRAMMII,
Med. Stud.

Sunt

Sunt morbi innumeri : sed nullus durior
hoc est

Quem sacra *fidereum morbum* Medicina voca-
vit,

Sensus ubi nullus, sed mortua membra vi-
dentur,

O miseros homines! qui sic urgentur acerbis
Fatis: orandum quo mens in corpore sano!
Hanc tu materiam tractas LEISNERE co-
lende,

Res haud exigua est: Deus huic benedicat ab
alto

Surgat honor tantus, quo non sublimior alter.

*Pereximio DN. Respondenti Amico suo Fratris in-
star dilecto hisce paucis congratulari voluit,
debut.*

CHRISTOPHORUS Schrödter/
Dannenberg. Med. Studios.

Pars o meorum prima sodalium,
Asclepiæq; Gentis amabile
Decus futurum, dum Cathedram
Scandis, Et ingenii revelas
Opes, paratas non sine maximo
Sudore; Toto gaudeo pectore,

Et

*Et fausta quævis comprecari
Candida mens animusq; mandant.
Ito ergò fœlix, perq; iter arduum
Te fausta ducant Numina; Nostraq;
Fac arcta perstent usque corda
Vinculo amicitie perenni.*


Tuus, quem nosti

JOHANNES BREWER,
Leutschoviensis Hungarus
Med. Cultor.

Ω : ἐνὶ τῷ σίχλω σκιάεντι μέλισσα ἐκάστη
Πρὸς κοινὴν πυρικῶς ἔργα τίθησιν ἑα.
Οὕτω τῆς καμάτης σφετέρης ΛΕΙΣΝΗΡ κατὰ θεῶν
Εἰς χεῖσιν κοινὴν ὠφελήν τε θέλει.
Ο, τῆ παρῶν ὁ Λόγφ, Φανερώς Ἰπιδύκνυς. ΙΗΣΟΥΝ
Εὐλογέειν τῶν λίσσων ἐκ καρδίας.

*Fausta appreciationis ergò Pereximio juxtà ac
Politisimo Dn. Respondenti, Sympatriotæ
atq; amico suo suavissimo hæc levia
nec non brevia adponere
voluit*

ADAMUS Schmidt / Plaviâ
Variscus.




05 A 256


ULB Halle

3

004 206 398







27

Gubernante Liberatoris Potentissimâ Veritate!

De

APOPLEXIA

DISSERTATIONEM MEDICAM

In

Celeberrimâ Leucoreâ

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

VIRO

*NOBILI, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO*

DN. CONRADO VICTORE

SCHNEIDERO, Phil. & Medic. D. ejusdemq; Facult.

Prof. Publ. celeberrimo: Seren. Princip. Anhaltin. Archiatro laudatissimo.

DN. Patrono, ac Praeceptore suo filialiter devenerando, suspiciendo

*Placidæ Φιλιάτρων discussioni
exponit*

GOTHOFREDUS LEZNER

Plaviâ - Variscus.

A. & R.

In Auditorio Medicorum ad diem 29. April.

ANNO M. DC. LXII.

LITERIS HENCKELIANIS.

[Wittenbergae]